Princeps

Poloniae Joc. Joan: Ultimus cinis domus Regiae Sobiesciorum in Sereniss. Jacobo Principe.

ULTIMUS CINIS

Domûs REGIÆ

SOBIESCIORUM

In

SERENISSIMO

JACOBO PRINCIPE

JOANNIS III.

POLONIARUM REGIS

F I L I O

In funebri pompa & luctu

à Polona Societate JESU

COMPLORATUS

Annô Domini 1743.

SCUTUM SOBIESCII



Vincere quid luctum Radivilia niteris Ales,
  Et Scutô pectus protegis ipſa tuum?
Regia Stirps cecidit! quid Avis, niſi funera, ſperes?
  Ah! magnus nulla vincitur arte dolor!
Audiit hos monitus, fuerit sêu Lechica, ſive,
  Quæ Radivillano Stemmate fulget, Avis:
Audiit! atq; ſuæ vitæ immemor, id niſi ſolum
  Quærit: quo tumulo, Principis oſſa cubent?
Sobieſcî Cineres Scuto collegit in uno,
  Atq; ait: Hos noſtro pectore condet Amor.

CELSISSIMO PRINCIPI
JLLUSTRISSIMO EXCELLENTISSIMO
DOMINO DOMINO
MICHAELI CASIMIRO
RADZIWIŁ
DUCI
In Ołyka, Nieśwież, Słuck, Kleck, & Kopył
COMITI
In Mir, Szydłowiec, Kroże, & Biała
CASTELLANO
Vilnensi, Campi Litvaniæ DUCI
CAPITANEO Cremenecensi, Camenecensi, Czluchoviensi &c.

DEDICATIO

HOnori tuo vel fata militant, Dux exercituum & Princeps Celsissime. Avita Sobiesciorum Arma & decora, quæ, aut Lechicæ, aut tuæ Aquilæ resplendent pectore, quibûs, quasi raptîs spoliîs,

mors exultare conatur, & de Regibus triumphare frustra præsumit; nunquid dignitati tuæ in trophæum assurgunt? assurgunt, credo; quia tuæ pietatis magnificentiâ, quâ Serenissimi JACOBI memoriæ justa persolvis, vindicantur ab injuriis fati, & famæ immortalitati asseruntur. Augusti hi Cineres, tuæ sunt moles gloriæ, quando illorum inferiis exornandis, ita cognati affectûs magnitudine occurris, ut in suæ Majestatis recordationem rursus redeant, seseq; vel in fati umbris Serenissimos esse non dubitent. Quo tamen vultu, hanc funeris pompam accipis, quam tuo alienoq; honori, fecisti ipse vectigalem? Quantacunq; sint, pietatis argumenta, ultimo Sobiesciorum Cineri liberaliter impensa; argumenta simul magni tui doloris sunt, qui sese pectoris angustiîs

non

non comprehendens, per hæc lugubria monumenta latè excurrit. Quàmvis enim in totam Patriam, atq; adeò in Celsissimos Illustrissimosq; Regni Proceres, idem crudelis grassetur dolor; in te tamen singulariter desævit, Princeps Celsissime; & more ruinæ, tuum pectus inundâsse creditur. Quò enim propior Nomini Sobiesciorum accedis, in Celsissima Avia Tua, CATHARINA de Sobiesciis Radivilia, Principe & Palatina Vilnensi, Serenissimi JOANNIS tertii, Poloniarum Regis Sorore; eò dolentiùs accipis augustæ cognatæq; Domûs Cineres. Redit tibi, avitorum in Sobiesciis memoria decorum, quæ in hac Sanctitatis Idea, Domui tuæ illabuntur, & suæ Majesta-

tis gloriæq; hæreditatem, Nomini Radivillano jurârunt. Qua igitur ratione levari poteſt dolor tuus, tanta materiæ gravitate preſſus & laborans? pace tua dixerim, Dux fortiſſime; omnia unus viceris; hunc luctum vincere non potes. Nempe ruina ingentium, nonniſi per lacrymas ſpectari poteſt; præſertim, quando vulneris accepti gravitas, ſanguinis conjunctione non caruit. Impera tamen mærori, o Princeps! reſpirare dolores jube, & aliquod inter gemitus admitte ſolatium. Hoc autem erit; quia Sobieſciorum Majeſtas, in Nominis Radivillani Celſitudine, vivet ad gloriam. Tuæ ſplendor Domûs, avitorum decorum magnitudine clareſcens, noctem eripit his funebribus umbris, &

diem

diem imperat. Omne in Radivillana Prosapia laudis momentum, sæculum dabit conservandæ Sobiesciorum Domui. Quid dubitemus? Tu unus abundè dabis, Celsissime Princeps; quando Jacobi Principis ità honori studes, ut illius Cineres cognato pectore recipere, sepelire in amoribus, & corde ad vitam animare velle, videaris. Tantî affectûs Symbolum, jam nobis deprehensum cernitur in Aquilæ Radivillanæ pectore; quo, velut Scuto altero, avita Sobiesciorum Arma & decora, sese à fatorum ictu defendunt. Nolunt aliter præsentari, nisi ùt Regum superstitum avita Arma; in Aquilæ nempe pectore: ut, quia in Radivillani Nominis hæreditatem evolârunt, sese hoc ipso de fatis triumphare ostendant. Id ipsum,

ut noſtra in Regiam Domum ſtudia, JACOBI Principis tuoq; Honori certantia, copioſiùs declarent, ſub tui Nominis auſpicio rem probare adnitentur. Admittes igitur benevolo vultu Panegyrim, non minùs Sobieſcii quàm tui Nominis immortalitati allaborantem, quam ſingulari promptaq; animi contentione, dicat, conſecrat.

CELSISSIMO
NOMINI TUO

Devinctiſſima

Societas JESU Polona.

NUnquid, ad arma, metus clamavit? ut undiq; Cives
Respiciant Scuti, timeant quasi vulnera, robur?
Grande, dolor, bellum est! domat omnia, & omnia vincit,
Inq; ferox nostris ponit sua regna ruinis!
Cernitis, ut visâ Jacobi Principis urnâ
In gemitu jacuêre omnes? Sobiescia quàmvis
Arma Domus tulerit, Scutumq; quod intulit astris,
Quis tamen à luctu sese defendere possit,
Dum pugnat sinè lege dolor? dum concidit ille
Ille, ter augusto Princeps Sobiescius ortu,
Qui sibi, qui Patriæ, qui regno nuper & orbi
Omnia solus erat? nunc funere mersus acerbo,
Hêu! quàm JACOBO distans Jacobus ab illo,
Exiguus cinis est, flendusq; vel hostibus ipsis!
Æternum nihil est rebus! diademata quando,
Quando cadit verso Princeps diademate; longè
Qui probus, èq; diu fuerat fœlicibus unus!
Principis at pietas forsan de morte triumphat?
Et mihi dicetis: quòd Princeps funere raptus,

 Si-

Sit major, quàm cûi possint vel fata nocere?
Ille quidem tantus, cûi vos, cûi quælibet ætas,
Desperate parem; cûi si vel Lechica regna
Comparo, dicetis: Quàm parva Polonia nostra est!
Sed tamen & magnis mors lugubris imminet. Ah! quàm
Sæpe cadunt subitò, quæ non casura putâstis!
Vixerit, affirmo, quem nunc ploramus ademptum,
Quemq; mori prohibent meritorum ingentia gesta;
Fine caret virtus, &, quod facit illa, perenne est:
Attamen hoc ipsum, quod vel vixisse vocatur,
Quodq; simul fatis confunditur ordine nullo,
Provocat ad gemitus. Lacrymas date! lacryma luctum
Sola levare potest! Sed tanti ad Principis urnam
Quod canat & lacrymet, carmen non sufficit unum.

REgio Cineri, dum Polonia parentali luctu pænè immoritur, primos facundiæ conatus, eloquētiæ vires, ipsos deniq; disertos in verba dolores, quo languet ipsa, omniq; spiritu exarmavit: adeò, ut suî oblitus, qui nos ad exstincti Principis memoriam erudit mæror, quò plus ab aspectu Regii pendet cadaveris, plus indurescat ad lamenta; quò magìs attonita mente, lugubris pompæ obit apparatum,

ma-

magìs hæreat; voce & lacrymîs tantæ cladis admiratione interceptîs. O violenti hoc in funere doloris molem! Non licet busta pyramidas, colossos, statuas, cæteraq, augusti tumuli simulacra intueri; nisi ipsi fiamus spectacula, qui spectamus; simus admirationi, qui miramur; simus dolori, qui dolemus: ut pænè nos inter, tristitiâ defixos, & inter assurgentia Principis honori monumenta, discrimen sit exiguum, aut nullum! Vos ego contestor, Duces, Principes, Senatores, & lectissimi quicunq; Proceres; quorum alii sanguine, alii meritîs & dignitate, alii gratô animô, *Serenissimi* JACOBI *Majestatem* repræsentatis, illustratis inferias: num vester super defuncti exuvias dolor, stupore tacito sese concoquit?

coquit?

coquit? nũ introrſum conſumpſit lacrymas? conſumpſit; quia profundus juxta ac ſummus: ſuî magnitudine viam omnem, qua de corde prorumperet, præcluſit; ſolo ſuſpirio, utrùm præ luctûs vehementia ſpiretis, reſponſurus. Vultis? cur adeò intus ſæviat, ut non clamet? Regiæ SOBIESCIORUM Proſapiæ, unus de ſummis, & [quod maximum eſt] ultimus Nepos cecidit, JACOBUS Princeps; trepidatione & horrore omnia proſternente, antequam luctu! & mirabimur, quòd veſter Lechiæq; mæror, vocem animamq; incluſerit? Ultimus cordi dolor, fatalis eſt; omne ſenſibus ligavit officium. Primus inclinatæ domûs impetus, tantùm admonet, ſecundus terret, tertius proterit, ultimus omnia

Doloris vehementia ex fatis Sereniſſimi Principis.

pla-

planè obruit; ne quidem gemitu ad complorandum relicto. Non frustra igitur, præsentis gravitate materiæ ad lugendum objecta, redit in seipsum communis dolor; & affectuum provocantium pugnâ admonitus, secum luctatur, sibi vacat: quasi suas experiundo vices & vires miserè examinaret, utrùm prodeat in eum extimū luctûs campum, cui mensuram posuit, ruinæ alienæ magnitudo. Erumpe tamen, funeste dolor! erumpe, quid moraris? ut te laborantem leves, grava lacrymîs: da luctum occidenti in uno Principe Domui Sobiesciorum, da lacrymas! cohibebat illas, dum viveret; meretur dum moritur.

Hêu! quos ego, putatis, excitavi tumultus in vestro pectore,

o Cives Patriæ, o Quirires, o Principes! Dolores vestri, qui sese, ut Regio Principi magnificè condolerent, cordis Regiâ concluserant, erumpere palã nituntur; ferentes vultum, sicut ab imbre gravem lacrymîs, audiri orbi cupidi, audiri tumulis, audiri cælo; ac tandem, Pincipis cineribus consepeliri quærentes: ne scilicet supersint & gemant, & ipso eorum gemitu audiatur aliquando, defecisse SOBIESCIOS! Videtisnè, quantũ præstet ruina ingentium? Manum ultimã imponendo actis, nescio quid magnũ ingensq; peragunt! scilicet ut omnium dolor, sibi succumbens, manus remittat; & ferales ingentium casus, quoniam sua mole magni sunt, etiam amico luctu non dilatet! Mul-

tum

tum egit, qui, ne cæteri quidquam agerent, fecit. Quàmvis autem Serenissimi JACOBI cineres, modestiam Principis imitati, & ad omnem vel luctuosum laudis sonitum trementes, silentium nostris planctibus imponant, aut illos sibi consepeliri optent; tamen Patriæ amor & obsequium in Domum Regiam, eò crevit, ut crimen læsæ Majestatis Lechia arbitretur, si conspectu augusti funeris non gemat; si luctus consepeliri volentes, non revocet à tumulo ad pompam tumuli: hoc uno innocentis contumaciæ culpam excusans, quòd, cùm SOBIESCII imperare orbi desinant, ipsa doloribus suis non imperet.

Quis verò dictis nō adhibeat

fidem, si Lechiam circumspexerit, tot gratiîs obligatam, quot vel in uno JOANNE 3tio Sobiesciis debet? Throno dignitas, Civibus pax, fælicitas Regno, militari gloriæ suum robur & splendor, omnia deniq; ad famam comparata, more sanguinis ad cor languentis Lechiæ memoriamq; concurrunt, utq; tantis beneficiis vivat grata, cohortantur, inclamant. Paret illa tot monitoribus suis: suspirat, gemit, lacrymat; & rursus, moriente Principe, languet & mori optat. Si tota, quanta quanta est Lechia, brevibûs se compendiîs ad luctum colligeret; si lacrymantis Præficæ Personam induens, ad hujus tumuli spectaculum compareret; sic miserè gemen-

tem

tem, ſic doloris impatientiâ clamantem audiretis: Me miſeram! quid tam inſolens funeſtumq; Lechia ſpecto per lacrymas? video, luctu plena omnia, & non edicendæ ſigna ruinæ! Regia Sobieſciorum Domus, tam auguſta dignitatibûs, tam ampla meritîs, tam fæcunda Prolibûs, quamq; futuris ſervandam ſæculis, fata promittere videbantur, ipsîs jubentibûs ſolvitur in ruinam! atq; utinam ad commune exemplar, lenta ſtrage conſumeretur, eſſetq; fulcrum aliquod collabenti Proſapiæ: non illa forem, cui nîl ſperare relictum. Sed enimverò, ſpes omnis cecidit, cadente in urnam Sereniſſimo JACOBO Principe, auguſtæ Sobieſciorum Proſapiæ Nepote ultimo! Hic, hic,

Lechiæ lamenta ſuper fatis Sereniſ: Princ:

cui de tanto cinere, non ſit jam ſimilis ſperandus Phænix, clauſit ruinam Domûs Regiæ; exſtinxit nomen Sereniſſimum! O fata, o temporum rerumq; vices! leviter nocere neſciunt, dum ſummis nocent: quaſi hæc illorum lex foret, non ſervare in vulnere legem ullam, quoties ex ingentibus aliquid feriendum occurrit! Quod quidem ego, patientiùs ferrem in aliis: ſed quia, Sobieſciorum Domus Regia, cui felicitas mea incūbebat, in prædam tantæ fatorum immanitati ceſſit, reſcindere cogor obductum annîs luctum, maliſq; meis immori! Quæ enim mihi, pars modò ſana à vulnere? eodem fatorum ictu, quo Jacobus Princeps cecidit, ſternor Lechia; & nunc me tan-

dem

dem, calamitas fractam videbit! Pascere crudele fatum, malîs Lechiæ; adde me tumulo Sobiesciorum Prosapiæ: ut augusto Cineri superincumbam cinis, & cladem illius meâ tegam! Nam quid, amissô Nauclerô, rati superest, nisi naufragium? quid & mihi, spem Domûs Regiæ radicitùs versam comploranti? Si dolori nitar supervivere, mens mihi erit lethô crudelior; semperq; occurret memoriæ, semper ante oculos stabit collapsæ felicitatis meæ simulacrum, & Domûs Sobiesciæ non surrectura imago! Ergo, ut fatorum rabiem ulciscar, fatîs obruar; meæq; sint inferiæ Regii funus Principis! Præstat, semel esse miserum, quàm semper.

Tali luctu, veſtras aures lacerantem Patriam, audiretis Purpurati Patres & Cives Patriæ: imò, ùt ex veſtrî animî luctuoſa tempeſtate, omne acuendi doloris ingenium admittente, conjicio; jam audîſtis. Ne tamen, omnibûs ſomentîs deſtitutus dolor, & ſibi relictus, ſibi ſuccumbat; debebitis mecum leniendo illi induſtrias quærere: ut lacrymæ veſtræ, quaſi interpoſitâ ſolatiorum morâ, guttatim cadant, nec more ruinæ effluant, nec ſeſe magno funeri accommodent. Cuperem quidem non perſuadere, quod hortor, cùm ſemper materie minùs doleamus, plorando funera Maximorum: hortor tamen; ut, quoniam dolor veſter, totus eſt

Lenimen dolori ex decorùm immortalitate Sereniſ. Princ.

in

in imagine continuandî luctûs, possit eò diutiùs sibi vacare, & vivere mærori, quò sæpius respirabit. Id autem, qua facilitate priùs assequar, quàm si distrahendî luctûs studiô, vestris madentibus oculis objecero, Regiam virtutum, Regiam honorum, Regiam augustæ Prosapiæ, gestorumq; immortalium, quæ omnî fatô superior, ad gloriæ perennitatem vivit & splendescit? Huc, huc, à tumulo revocate oculos, ne visi præsentia damni, luctu vos enecet. In superstite avitorum decorum fama, vivere Serenissimum Jacobum arbitremini; qui hoc ipso, nucleus augustæ gloriæ, compendium & centrum est, quòd Sobiesciorum

Nepotem Domûs, esse ultimũ, quanti sit?

 rum

rum Prosapiæ, Nepos sit ultimus. Magnum est, Authorem Prosapiæ censeri; majus, Propagatorem esse; maximum, pro Scopo gloriæ venire, pro meta decorum designari: quia ùt fluvius in ostio, quà in mare effluit, latissimus est; sic Prosapiæ Principes, quas sanguinis decorumq; altitudo promovit, qua parte desinunt, in quadam suî immensitate subsidunt. An ignoratis, in primis mundi miraculis haberi columnas illas, quibus labor Herculis, *Non plus ultra*, inscripsit? miraculum certè est, & gloriæ juxta terminus ac summus titulus. At nomen Hercules ultra non protulit? fæcundus in labores ultra non exstitit? manu,

pede

pede, inceſſu, fortè nec oculîs ultra proceſſit? Verùm, hoc ipſum ad nominis famam ivit, non iviſſe. O quot erant in ultimo gradu, virtutis & gloriæ gradus! peragrâſſe orbem, purgâſſe monſtrîs, viciſſe, triumphâſſe; ac tandem onuſtum laboribûs & infractum ſtetiſſe! Sic Heroica Sobieſciorum Domus, maſculæ auguſtæq; Poſteritati ſuæ, in alto Sereniſſimi Jacobi Cinere inſcribit, *Non plus ultra*; ùt cùm in hoc Principum ſummo, placidè quieſcit, non habeat quò aſſurgat; cùm ſeſe in Poſteros ultra non dividat, collecta compendiô ad ſuî trophæum, in uno ultimoq; Principe vivat orbi ad miraculum. Grande Proſapiarum

Sereniſ: Jacobus, ultimus Nepos Sobieſciorũ.

incrementum eſt, in ſummo Principum exhauriri & decreſcere; inſtar illius Pyramidis, quæ ſeſe paulatim minuendo, decentiùs ornat, illo apice, in quem deſinit. Dicite nunc, exſtinctam Sobieſciorum Domum! ſi non eſt ſtare, ita cadere; ſi non eſt vivere, ita mori; ſi non eſt diem ſpargere, ita occidere! Sereniſſimus Jacobus occubuit inſtar ſolis, quo occidente, nos verſamur in tenebris, non ille: aut (quoniam in etymo nominis, Filium tonitrus prætulerat) inſtar fulminis; quod licèt ſepulchrali nube clauditur, quà voce quà fulgure clareſcit. Cuperem jam, pleno iſti Regiæ majeſtatis mauſoleo, abeſſe faces & pyras ſe-

pul-

pulchrales; ne ſpectabili per ſe, & nunquam morituro Principis honori, ſui luminis interjectu importunam umbram offundant; cùm illius funebria celebremus, de quo ſera poſteritas diſceptabit, an fatis irruentibus ruinam dederit, an acceperit. Alios nempe fata premunt, ut opprimant: Sobieſciis autem, ita in hoc Nepote ultimo, coronis impoſita eſt, ut quadam neceſſitate, Corona ſit, aut deſponſatæ ad gloriam æternitatis annulus. Audiſtiſnè aliquando, pænè miracula Syenes Pyramidis, nullam umbram projicientis, qua ſeſe in imagine ſuî, quaſi progigneret? Hoc vobis figurabit Domus Sobieſciorum deficiens. Nam

& illa, cùm ſperaremus Natos Natorum, & qui naſcerentur ab illis, nec umbram horum reliquit; fatiſcens in Sereniſſimo ultimoq; Nepote, Principe Jacobo, dierum meritorumq; pleno. Nonnè hoc ipſo Sereniſſima? ſatis lucidus, qui ſe toto claruit inſtar ſolis, nec maculam admittentis, nec umbram comitem. Hoc Domui Sobieſciorum convenire, ut & ego luculenter probem, & vos non diffiteamini; ducam vos per ea documenta, quæ tanto Nomini, quàmvis in Nepote ultimo fatiſcenti, perpetuitatem famæ gloriæq; indicabunt.

Arma avita Sobieſciæ Domûs, Scutum.

Ac imprimis ad Arma gentilitia Sobieſciorum, Regiæq;

Pro-

Prosapiæ avitum decus, vos provoco; quicunq; augusto tumulo lacrymas datis: ut vos, variorum affectuum pugnâ, in distrahendo dolore juvare queam. Hîc autem, primò vos silere, deinde obstupescere, deinde horrore corripi, animadverto; Quid (inquietis) nobis luctu demersis, ad solatium proponitur? Arma? Scutum? Clypeus? Novimus bene, avitîs Sobiesciorum Armîs, Scutum clypeumq; signari: quid tamen ad pacem animi, arma faciunt? quid, nisi infaustum possunt portendere, dum Regnantium Domus, Nepote ultimo sese exhaurit? Nonnè hanc lugubrem facti scenam, in theatro orbis nunc exhiberi cerni-

nimus, experimur, ſentimus? Ultimus ex Auſtriaca Domo Cæſar cecidit? reſpondet caſui tanto Europa, ſuo gemitu, ſuîs lacrymîs, ſuo ſanguine, ſuîs ruinîs, quibuſcum adhuc, velut in agone, luctatur. Ut omittamus regna alia, ſanguinis naufragiô pereuntia; quæ ad Principis Proſapiæ exitum, ſuas in mutuum exitium vires, cominùs armaverant, noſtras aures eminùs vulnerabant. Dum igitur Sobieſciæ Domûs, exſtinctam in Principe Jacobo ſpem lamentamur, quid nobis (inquietis Proceres) ad pacem animi conciliandam, Scutum proponitur? Hoc Armorum, licèt Avitorum, ſimulacro, non exturbatur dolor niſi cum præ-

ſagio

ſagio novî luctûs; non ſanatur vulnus, niſi vulnere; non eluuntur lacrymæ, niſi novæ propinentur; ut dolor ſuperveniens dolori, latiùs dominetur.

Ità cum lacrymante Lechia, contra Oratorem declamâſtis, Cives Patriæ Purpurati. Nec indignor: luctu perturbante animos, ſic mærorem loqui, ſic decipi oportebat. Ego vos tamen, ne diutiùs ſuſpenſi hæreatis, meâ dictionis figurâ, ab omni ſuſpicione erroris conabor liberare. Non, ut metum vobis incuterem, clypeum objeci: docere orbem volui, quàm bene ſuîs præſidiîs munita ſit Domus Sobieſciorum, contra fatorum ictus; dum ſeipſa, ſuæq; gloriæ firmi-

tate defenditur, ne alicui vulneri ità pateat, ut pereat. Quod olim non absq; ſimulatione prodidit antiquitas, unius Scuti laminâ depictam fuiſſe Achillis Æneæq; Poſteritatem, cujus obtutu, Progenitores illi uſq; ad delicias paſcerentur: hoc, citra aſſentationis periculum, avito Sobieſciorum clypeo ex merito tribuemus. Ita ſplendeſcit ad gloriam, quaſi Regiæ Sobieſciorum Proſapiæ totam antiquitatem, ſua calcantem fata, & ære firmiùs perennitati viventem, Reges, Duces, Principes, atq; iſtorum geſta immortalia, repræſentaret. Poteruntnè non frangi ad hunc clypeum, quaſi ad ſcopulum, fatorum ſævientium impetus? Poteruntnè non de-

desperare victoriam? Possent, affirmo: si Sobiescii, dum in urnam cadunt, suo casui non superstarent. Verùm aliter illorum obitu edocemur: ità illos terris eripi, ut, siderum instar, cælo figantur, terris luceant. Fidem adhibebitis ex hac, quam de avito Sobiesciorum Insigni afferam, historia. Siderum contemplationi intenta Astrologia, dum has & illas astrorum vices figurasq; examinat, recentî feliciq; studiô novum Sidus, in formam Scuti compositum, observavit. Putavit esse Arma JOANNIS tertii, Poloniarum Regis, quem suscepti exhaustiq; pro Christiana Republica labores, jam olim post victoriam Viennensem cælo intulerant.

Novum sidus ab Astrologis observatum, sub lemmate: Scutum Sobiescii.

F2 Ergo

Ergo invento Sideri ſubſcripſit lemma: *Scutum Sobieſcii*. Videre eſt, hac ſpecie, hoc nomine decoratum Sidus: exſtat imaginibûs, Matheſeos arte fabricatîs, cælumq; in mundi mappam, in tabulas, brevî fictilîq; orbis globô, transferentibûs. Quod, quia externarum Nationum induſtriâ inventum admiramur, tantò propiùs aſtris ex vero accedet *Scutum Sobieſcii*, quantò remotiora ſunt à domeſticæ aſſentationis periculo externa ſtudia; quæ illud eo ſiderum loco repoſuerant, unde fabuloſum Ancile dicitur excidiſſe, quaſi ceſſiſſet locum Scuto digniori. At verò hinc, documentum naſcitur meæ de Sobieſciis ſententiæ: fatis illos ſuperſtare,

perſtare,

perſtare, cælo inferri, terris lucere perenniter. Quod artis Aſtrologicæ induſtria peregit, typus eſt; quod præſtat virtus Sobieſciorum, eſt prototypon: nempe poſt fata illi, ſua nomina tranſcribunt cælo, ornant Superos; longè certiùs ſanctiùsq; quàm olim Julii nomine, à funere Auguſti Cæſaris, ſidus inclaruerit. Ne igitur, Principis Jacobi cineri, tantum Lechia illacrymes, ut fatîs crudelibûs prorſus abſorptum merſumq; credas. Vivit, & fatis ſuperſtat ſuis! quemq; in cælo thronum, non tam avita Arma evicerunt, quàm meritorum violenta vis pro Sobieſciis ſanctè rapuit, ille occupat; & ſuo ſidere non ſarcophagi umbrîs tu-

mulatur. Non moritur, quem aſtra ſepeliunt.

Sed enimverò, dum vos dolore victos, o Cives Patriæ Purpurati, jam Scuti Sobieſcii præſagîs, jam variorum ſolatiorum inventione diſtraho; ſerò forſitan, id eſt poſt vulnera, clypeum vobis tradidi! Nam etſi Sereniſſimi Jacobi animam, cum fama & nomine, cælô receptam creditis; ipſe tamen ſepulchralis cinis oculos veſtros vulnerat, cor dividit, animam ipſam pænè doloris aſſultu exturbat. Nec video modum, quo idem ipſe, tam ſævus dolor miteſcat, niſi dividatur in plura. Huc huc, Regiæ Proſapiæ Dignitas, Heroicum decus, virtutes, merita, & omne cum laude pera-

ctæ

ctæ ſortis momentum, ut ſua damna complorent, compareant. Longum quidem, lacrymoſumq; iter eſt, ab urna Principis ad cunas regredi, & quaſi ab occaſu ad ortum redire: id tamen præſtabit Honor Sobieſcius; ſive ut ſuum mærorem diſtrahat, ſive ut laudum in Principe defuncto immenſitatem, & illi reſpondentem doloris campum, percurrat. Percurret autem, ſi, prætermiſsîs Avîs Proavîsq; defuncti Principis, quorũ in Jlluſtriſſimo Jacobo Sobieſ ki Caſtellano Cracovienſi, Faſti Annaleſq; Lechiæ abundè meminerunt; ad Regum ipſa ſolia, ad Coronas & diademata, quæ nonniſi Sereniſſimos progignunt, pervenerit. Quid verò moli-

Joann. 3tio Poloniæ Rex, Pater Serenissimi Jacobi.

mur? quid audemus? an JOANNIS 3tii, Poloniarū Regis augustos Manes appellamus, throno reponimus, ut modò defuncti Principis honori certent? ità est: nam licèt te ipso magnus sis, Serenissime vel in fati umbris, JACOBE Princeps; tua tamen magnitudo, quoniam hæreditate quadam ab augustis descendit Majoribus, illorum Majestati suas cunas, suas fascias debet. Et quæ non tua gloria, JOANNIS 3tii Poloniarum Regis Filium censeri? illius Regis, qui Poloniæ Mars coronatus, barbari orientis Fulmen, Tyrannorum Domitor, Salvator Viennæ, Christiani nominis Vindex, Manus Congregatorum, priorum Regū Caput & Corona audiri

diri

diri meruit? Omnes hi tituli, quadam successione in te devolvuntur, defuncte Princeps: tanti Patris gloria, tua est; tanti Herois virtus, tibi militat. Tu rebelli Ukrainæ jugum imposueras; tu Scythas barbaros iræ heroicæ immolâsti; tu ad Chotimum, tu ad Viennam, Christiani nominis fudisti hostem; tibi trophæa assurgunt, jam Pyramidis mole, quam triumphalem Roma JOANNI 3tio excitavit; jam avitorum Armorum prodigiô, quod gratæ Europæ labor cælo intulit, & *Scuti Sobiescii* titulô insignitum transmisit ad Posterorū memoriam. Tua sunt hæc omnia: quantòq; plus est, Paternæ gloriæ Hæredem fieri, quàm sce-

Majorum gesta, imputantur digno Nepoti.

H ptri,

ptri; tantò tu auguſtior, quòd cùm poſſes ſuffragante Lechia Patris throno ſuccedere, ea ſolùm in hæreditatem ſanctè admiſiſti, quæ ſoliô dignos efficiunt.

Virtutes Sereniſ: Principis adhuc in flore ætatis.

Et quia ad Nominis, quod nulla ætas deleverit, Majeſtatem, parum eſt Majorum rectefactîs colluſtrari; vixq; noſtra putanda ſunt, quæ ipſi non fecimus; proinde non ſatìs ad gloriam reputâſti Princeps, Sereniſſimorum Parentum Regumq; JOANNIS 3tii & MARIÆ Caſimiræ ornamentîs fulgere; in illo Lechicam, in hac Gallicam dignitatem repræſentando; niſi ipſe tanto Exemplari reſponſurus, ideam decorum in te formares. Et formâſti quidem feliciter,

liciter, ad prodigium & delicias mundi; ùtq; obtutu ſolis nitidiſſima Iris comitur, ſic avitorum decorum aſpectu & magiſteriô, in varios virtutum colores diſtinguebas ætatem teneram; ne vel à Puero id non eſſes Regiæ Proſapiæ, quod coronis eſt adamas, gemma conchylio, ſoli radius. Cui virtuti non inſpiravit vigorem, tuæ ætatis flos primus, vel ipsîs liliîs candidior? modeſtia in inceſſu ad Majeſtatem compoſita, verecundia in moribus, maturior ævô prudentia, comitas, facilitas, accedentium ſtudiis opportuna; aliæq; omnes ad unam Principum dotes, tuo tecum lacte adoleverant, tecum creverunt. Dicamnè, etiam fortitu-

do Heroica? at verò, quid ætati debili cum viribus? quid manui teneræ cum clava? quid Puero cum Marte? Si tamen fortes creantur Fortibûs, tuæ Princeps ætatis rudimenta, in Martis palæſtra probari, heroicè expoliri oportebat. Uno exemplo rem expediam, virtuti tantæ fidem facturus.

Serenis: Jacobus ad Viennam Patri Victori comes.

Europæ negotium agebatur, cùm Othomanicus furor, nomini Chriſtiano juratus hoſtis, convocatîs toto oriente viribûs, eruperat more ruinæ; ut expugnatâ Viennâ, uno exitio Auſtriam Chriſtianamq; Rempublicam everteret. Et evertiſſet quidem, nisì JOANNES 3tius, Poloniarum Rex, ſubſidiô accurrens, murum ſe

pro

pro Europa oppoſuiſſet, hoſtem proterens, volentem proterere. Principi tunc Jacobo, quem ploramus, ætas tenera, florentes anni, nondum juventutis fines egreſſi, nondum ad pugnam laureamq; videbantur maturi. Quid putatis? forſitan aulæ Regiæ ſinu tenebitur? ſterileſcet domi? fugiet belli incommoda, pericula? minimè. Turpe ratus, pugnante Patre differre pugnas; audire è longo prælia, non ſpectare & experiri; ivit Patri comes à latere, objecit caput periculis, ſtetit cataphractus in armis, in acie, in meta diſcriminum. Quid facis, Juvenum fortiſſime? metire quod audes, quodq; potes! atrâ nonniſi aleâ Mars ludit,

prælia ſunt nimis lubrica, nîl ſalvi in bellis, plena furoris omnia, plena metu! Ità eſt; ſed niſi hæc fuerint, Heroes non ſint. Tolle labores arduos, quid virtus erit? nonniſi magnô emitur, nomen fortibus. Hæc intimè pulsârunt, Principis Jacobi pectus; utq; paſceretur aſperîs, gauderet difficillimîs, durumq; omne intrà laudis titulos computaret, effecerunt. Ergo aſpirans ad fortia Princeps Juvenis, & Aquilas Lechicas prævolare cupiens, Patris lateri, quem ſibi imitandum in pugna objecerat, comes adſtitit, hoſti reſtitit, pugnavit, vicit. Joannes 3tio, Lechiæ & Chriſtianî exercitûs Imperator, Fulmen tunc erat Orienti

enti Turcico, Jacobus tonitru.

Hoc unum, ad gloriæ tuæ culmen ſufficeret, defuncte Princeps, adhuc in flore ætatis tantam laurum meruiſſe; eò glorioſiorî triumphô, quòd ante diem ætatemq;, Marti ſimillimus redieris ex arena. Hîc tamen non ſtetit virtus tua, ſed reſpiravit: quia enim in otii perniciem totá juraverát; non actum reſpexit, non aſpiravit ad quietem; vitam ante poſitura quàm labores, quibûs vixit. In virtutum palæſtra, finis unius rectefacti, gradus eſt futuri; & laborum dulce pretium, novus labor. Et quia major triumphus eſt, ſe ipſum quàm hoſtem vincere, proinde digrediens ex

Modeſtia Sereniſ: Princ: in honoris fuga.

Martis arena, tam præcelsæ virtuti campum optabas. Evenerat! nam post fata Serenissimi Joannis tertii, Poloniarum Regis, nactus es Campum, tantæ virtuti exercendæ opportunum. Patris invictissimi tuaq; ingentia merita, suffecissent tibi ad Coronam; nisi modestiæ tuæ Majestas, sancto fastu calcans sublimia, potiùs elegisset mereri dignitates, quàm habere. O purpurati moderationem animi! Tali honoris fuga, Carolum 5tum, Imperatorem vicisti; Joannem Casimirum, Poloniæ Regem superâsti: illi, diu gestata diademata, ut sibi vacarent, repudiârunt; tu, ne tangere quidem voluisti: quasi malum Regium, non absimile foret veneno,

no, quod vel tangere, non eſt tutum. Sed dum oblatam dignitatem ſic contemnis, longè regna Regesq; ſuperemines. Summum dixerim, qui Honorum contentionem, tanquam ſpecioſa pericula plerosq; haurientia, ſuæ fecit incrementum virtutis, dum deſpexit.

Ut autem modeſtiæ tuæ virtutem, in Regii honoris fuga uſq; adeò Regiam, locupletiùs comprobares, ſubſidio vocâſti pietatem; quæ in Superos auguſtè liberalis, ea ipſa diademata, tanquam devicti faſtûs ſpolium, tuæq; ſanctæ moderationis inſtrumentum ac Inſigne, in aras attolleret. Documentum habituri, procedite in campum Dolorum, Jaroslaviæ

Thaumaturgæ Jaroslavienſi Deiparæ coronandæ, geminum diadema dicavit Sereniſ: Princeps

ad Thaumaturgam Deiparæ aram comparentes. Geminam hîc Coronam, liberali pietate Serenissimi Jacobi, annô 1732 dicatam videbitis; alteram Deo homini post funera complorato, alteram dolenti Deiparæ, suîs lacrymîs & clarîs orbi miraculîs prodigiosæ. Utrumq; diadema capiti suo subtraxit, Divino imposuit, Jacobus Princeps; quàm in sui honoris cura parcissimus, tam in cultu superis ferendo, Regaliter liberalis. O perenne pietatis monumentum in Principe Jacobo! Quàmdiu Deipara, suæ in nos bonitatis amplexus dilatabit, quàmdiu singulari affectûs teneritudine, Poloniæ Regina dici voluerit (velle autem nunquam desinet)

tam-

tamdiu non alio, ad prætensi tituli inaugurationem, diademate ornabitur, quàm quod coronandæ Virgini, pietas Jacobi Principis consecravit. Minùs jam dolebis Domus Sobiescia, exstinctos in ultimo Nepote Serenissimorum titulos! tuæ dignitatis Regiæ illam Hæredem fecit Jacobus Princeps, quæ regnat semper; illi, à qua accepit, coronam reddidit; eò firmiùs quò sanctiùs Domui suæ conservandam. At forsan luctuosum istud, nec sinè præsagio exspirantis Dignitatis, Domui Sobiesciorum erit, sua Insignia complorato Numini obvenisse? Cur non aliter, nisi in dolores compulsæ & formatæ Deiparæ, suosq; inter luctus

morienti, diademata offeruntur? Nunquid ægrô animô acceptatur, quod languenti obtuleris? num ſinè lacrymis probantur munera, quæ ſpectantur cum lacrymis, & interrupta ſingultibûs voce probantur? Dubitarem ſanè: niſi ſcirem; non ſolius doloris, lacrymas partum eſſe. Conſpecta tam liberali, tam Regia pietate Principis, pænè ſibi temperant dolores Mariani: captatô ſolatiô fundunt lacrymas; utq; Domui Sobieſciorum perpetuas Superûm implorent gratias, plorant. Ut enim acceptiſſima ſemper munera ſunt, quæ Author aut ſuî dignitate, aut ſingulari voluntatis inclinatione, pretioſa fecit; ſic eadem gratiſſima, quæ

medio

medio in luctu oblata percipiuntur. Se protunc donum, in se ipso multiplicat; unumq; est munus in munere, alterum in solatio alienos dolores mitigante; tertium in optimè affecti animi significatione, quæ rarò obvenit lugentibus. Primum munus incurrit oculos, reliqua ad cor penetrant, & memoriæ perenniter inscribuntur. Si enim, vel inter homines evenire solet, ut ille verè amaverit, qui in adversis amavit; qui obstinata calamitate amicum pressum, turpi fuga non deseruit; sed ploranti dedit lacrymas; imploranti opem, dedit munera; dolenti indoluit, languentem refecit: quantò magis (si parva licet componere

magnis) illam singularem Datoris voluntatem arbitrabimur, quæ vel maximè compositis ad luctum Superis, sua munera cupit obvenire? Aurum probavit igne, qui optimam affectionem animi sic probavit, deploratis aris succurrendo. Quod quoniam in Serenissimi Jacobi liberali pietate admiramur, ipsius voluntas in cultu Deiparæ maxima prædicabitur, quando Virginis Thaumaturgæ dolores, & sanctè constanterq; coluit, & Regiâ munificentiâ coronavit, & Domûs satiscentis dignitatem, tantæ Reginæ pedibus subjecit. Hoc Regalis munificentiæ pietatisq; anathema, mille supernîs benedictionibûs sacrabitur: &, quoni-

niam exemplô ſuî, provocandæ hominum pietati durabit; quoniam orbi vivet ad prodigium; unum de miraculis perpetuòq; cenſebitur. Apertum doloris gladiô, Virginis Thaumaturgæ pectus, quod in amorem pietatis Sobieſciæ uſq; adeò patuit, vulnere ipſo velut ore, declamabit cælo munificentiam Principis, & ſæculis loquetur.

Tantùmnè in Superos, prodigam extendiſti manum, o Princeps? Divinoſnè ſolùm dolores coronâſti ſolatiîs? gemmîs ſupplendo lácrymas, & auri adamantumq; luce ſerenando mæroris nubem? ad portum Regiæ liberalitatis me appuliſſe credebam; cùm è flu-

Pietas Ser: Principis, liberalis in egenos.

mine labor in pelagus. Num calamitati pauperum ſublevandæ, abſtergendis miſerorum lacrymis, manus tuæ properârunt, o Princeps? non ſolas videlicèt manus, ſed cor & amorem impendebas, quoties in ſupplicis egeſtatis vultu latentem Deum ſuſpiciens, totam voluptatem animi in elargiendo conſumeres. Quotquot ſunt, qui beneficentiæ tuæ radiô ſiccârunt lacrymas, qui de ſortis ſuæ velut naufragio in melioris Fortunæ ſpem emerſerunt; tot exſtant auguſtæ tuæ liberalitatis monumenta; exſtant autem innumera.

Pietas in Patriam, calamitate laborantem.

Dum hæc, de prodiga virtute Principis, liberaliter diſputo; de illius in Patriam pietate quid

quid dicam? non ſic ad Principis fata, ſuis Lechia innataret lacrymis, niſi Regiorum favorum inundatione gratiîsq; abundâſſet. Sæpè quidem Jacobus Princeps, extra limites Patriæ verſabatur; ſed quoniam in Civium cordibus, beneficiorum pretiô conductis, habitabat, extra nos degebat nunquam: ſubducebat plerùmq; oculos, fortè ne cerneret mala Patriæ; ſed cor à Patria nunquam ſubmovit, amorem nunquam; quo Lechia ad fortiter ferenda mala animaretur. Faciliùs regnorum, quàm Sobieſcii in Patriam amoris, limites inveneris. Quòdſi aliquando uſus poſtulavit Principis præſentiam; nunquid animô, cor-

de, ſe toto, in auxilium Patriæ volavit? ab uno exemplo, cujus recens memoria veſtris animis obverſatur, cæterorum capite menſuram. Non ità pridem, gravis animorum armorumq; tempeſtas Poloniam miſcuit: Partium primò ſtudiîs, deinde armîs ſciſſa Patria, pænè de ſalute ſua conclamaverat. Exercitus, jam noſtro, jam externo Marte inſtructus, inundavit omnem Lechiam; ut nullus vulneri, ne quidem in Ruſſia, locus ſuperfuerit. Quid tunc agis, Sereniſſime Jacobe? an tibi vacas, & otiô marceſcis? an extra limites, quæris ſecuritati latebram? an ſufficit tibi ſurdîs auribûs excipere clamores Lechiæ, aut è longo indolere

lere

lere calamitatibus Patriæ, quam pænè omnes, huc illuc disperſi, deſeruerant? Nempe, quà miles externus in Ruſſia conſederat, ultro provolas: ſola Majeſtate armatus occurris exercitibus; ne per tuorum Bonorum jacturam, viſcera Patriæ lacerarentur. Profuit præſentia Principis, quàm terrendis caſtris, tam aſſerendæ terrarum immunitati, opportuna. Tantæ in Principe Serenitatis conſpectu, velut fulgure ictus miles, furorem poſuit, amorem ſimulavit; ſolâ Dignitatis reverentiâ ſe victum faſſus. Atqui arma nòn expediit Princeps? Martem non oppoſuit Marti? Ità eſt: ſed Majeſtatem oppoſuit; quæ in ſuî venerationem vel Martem impellit, prolapſoq; &

 quaſi

quaſi victo, veluti triumpharet, dat jura, ac pacis præſcribit leges. Quantò auguſtiùs eſt, vincere ſinè ſanguine; tantò agendîs plus præſtitit Jacobus Princeps; quando ſuî præſentiâ & Majeſtate terras à ruina protegens, militis externi ferociam, ne hoſtiliter auderet, ad mitiora compoſuit, cicuravit, repreſſit. Infinitus ſim; ſi dotes ſingulas & merita, quibûs Jacobus Princeps numeros implevit omnes, laudatione perſequerer. Atq; hæc ſunt, quæ te ad ſenii venerandam canitiem perduxerunt, defuncte Princeps! ut non modò Sereniſſimis Fratribus natu minoribus, ALEXANDRO & CONSTANTINO, ſed Nepotibus

Plenus dierum meritorumq; deceſſit Sereniſſimus Princeps.

quoq;

quoq; ipſis, quos nuper ad funeris pompam præmiſiſti, ſuperviveres, dierum juxta ac meritorum plenus! Non poterant virtutes efficere, ut ad noſtri deſiderii menſuram ſemper viveres; effecerunt, ut diu optimèq; viveres. Vixiſti! & ætate, quã fortibûs ſanctîsq; laboribûs exegeras, ad ſenium perducta; vetuſtatem Regiæ Sobieſciorum Proſapiæ repræſentas Nepos ultimus, totamq; in te decorum antiquitatem claudis unus.

Sed quorſum hæc? ſi Regia Sobieſciorum Domus, ſuô tandem & Principis Jacobi ſeniô collabitur? ſi tanto caſu Europa contremuit? ſi dolor noſter iîs ipsîs trabeatæ virtutis laudibûs,

bûs, quas leniendo dolori adhibuimus, aſperatur, grandeſcit, & velut elephas viſo ſanguine, efferatur? Ah! quàm vereor, ne, quod languenti animo fomentum eſſe voluimus, fomes dolori ſit: eodemq; telo, quo noſtrum quaſi Telephi ſanatur vulnus, renovetur iterum & recrudeſcat! Sereniſsimæ Domûs Virtutes, merita, dignitates, & quidquid Faſtîs perennibûs vivet ad gloriam; Sanguinis item Sobieſcii cum Cæſarum, Regum, Ducum, Principum, conjunctio; dum in hoc Principis Jacobi funere violenter invadunt veſtram memoriam; cor opprimunt, dolorem exprimunt, & pænè cum illo languentem animam! In exſtincti Principis

inferi-

inferiis, quantumcunq; doluerітis, o Coronata Capita, o Principes, o Cives Patriæ Purpurati; semper materiâ minùs dolebitis! Quod fletur, majus est, quàm ut defleri possit. Indulgete ergo luctibus, lacrymas ad ultimum profundite, ut illîs tandem dolor abundet, mollescat; aut tandem se se absorbeat. Flendus est semper, qui nunquã flenda egit! Cuperem quidem, totam Sobiesciorum Regiamq; Prosapiam, cineribus suis consepultam, ad luctus animare; ut grandem sui Nominis in Nepote ultimo jacturam ploret: sed quoniã ab augustis Manibus, utpote cælo transcriptis, dolor mærorq; procul exulat; Vos Augustissimæ, Serenissimæ,

Celſiſſimæ Proſapiæ, invito ad complorandum. Quanquam invitari dedignamini, quibus ultro violenterq; erumpunt lacrymæ ſive ad nuntium ſive ad conſpectum præſentis fati! Quo enim vultu, quo luctu, hanc fati inclementiam accipit, Auguſtiſſimus ex Bavariæ Ducibus CAROLUS 7mus, Romanorum Imperator? ex Sereniſſima TERESIA Sobieſcia, JACOBI Principis, quem ploramus, Sorore procreatus? Puto, pro ſui Sobieſciiq; Nominis Majeſtate, magnificè mæret! eòq; fortiùs, quòd geminô bellô diſtentus, utriq; pugnare cogitur: illo hoſtem expugnans, hoc pugnans cum doloribus; illo fundens ſanguinem, hoc lacrymas, ex

Sereniſſimi Principis Jacobi, cum Cæſarum, Regũ, Principũ, proſapiis, conjunctio.

Avun-

Avunculi Sobieſcii fatis emergentes. Nonnè & Anglica diademata, in præſentis luctus ſocietatem rapiuntur? quorum Sereniſſimo *Prætendenti*, Filia Sereniſſimi JACOBI in Sponſam ceſſit? ſanctitas Reginæ, quā illa, Domui Sobieſciorum inquilinam, Regno Angliæ cum Fide Orthodoxa inferre voluit, lacrymas longè provocat complorando funeri Sereniſſimi Principis Jacobi; qui non Poloniæ tantùm, ſed regnis quoq; aliis, ſanguine & virtute colluſtrandis ſuffeciſſet. Quid? nonnè & Galliam Germaniamq;, idem dolendi ardor inceſſit? quàmvis diſcordibûs armîs altera urgens alteram, nunc diſſideant; concorditer tamen in luctûs ſocietatem

veniunt, auditîs Serenissimi Jacobi fatîs! Utraq; nempe, sanguinis nexu illi conjungitur: Gallia, in Serenissima Parente MARIA Casimira de ARQUIAN de la Grange: Germania, in Principis, quem flemus, Consorte, Serenissima ELIZABETHA Amelia, Comite Palatina Rheni, Principe in Neuburg, PHILIPPI Electoris Palatini Rheni Filia; in qua Hispaniæ Reges & Augustos Cæsares, sibi sanguine junctos reddidit Jacobus Princeps. Si lilia, teste Plinio, suas habent lacrymas, quò illorum fæcunditati vel luctus proficiat: quantæ, putatis, Galliarum liliis erumpunt lacrymæ, dum Nominis Sobiescii augustam fæcunditatem, in ultimo Nepote dolent

lan-

languescere? Plorant, opinor; ut tanti nominis Majestas, saltem in famæ immortalitate non sterilescat, sed vel ab ipsis cineribus se se ad gloriam reseminet.

Tanto luctu, Europa tibi parentat, Princeps, vel in fati umbris Serenissime! ut, qui Nominis Prosapiæq; Majestate totum orbem, dum stares, serenabas; occasu tuo totum involvas lacrymosæ nubis luctibûs. Ah! quàm longè profundiùs, hiscè in lacrymis oportet Poloniam naufragari, lugente Europa! Ne putetis, festivum esse colorem, quo Lechiæ Aquila nunc albescit: pro teste candido maximi doloris est! Dum ad fata Jacobi Principis, Imperatorias Aquilas fuscum co-

Europæ dolor super fatis Ser: Princ:

lorẽ induiſſe, & geminato ſqualore nigreſcere arbitramini; Lechiæ Aquilam expalluiſſe credite, languere & emori! In vobis præcipuè, hanc luctûs vehementiam Patrius dolor exhibet, Celſiſſimæ Regni Proſapiæ; quas ſanguinis Sobieſcii Dignitas, quò propiùs ſibi admovit, eò vehementiùs ad complorandum impellit. O ùt dejecto vultu, vos mærentes aſpicio! Pænè quæritis, eodem condi tumulo, quo Princeps! Te tamen ante alios, Celſiſsime Princeps RADIVILLE, ſiquidem luctu obrueris, non poſſumus nisì per lacrymas ſpectare & intueri. Nempe dum in Avia tua, Celſiſsima de Sobieſciis CATHARINA Radivilia, Principe & Palatina Vilnenſi,

Celſiſſimi Principis, Michaelis Radivilli cognatio cum Sereniſſimis Sobieſciis.

Sere-

Serenifsimi JOANNIS tertii Poloniarum Regis Sorore, propior accedis Regio Sobiefciorum fanguini; propior quoq; vulneri patuifti; quo tuum pectus, Sereniffimi JACOBI fata magis magisq; penetrant, ne dicam, conficiunt. Tua pace loquar, Dux exercituum fortiffime; omnia unus viceris, hunc dolorem unum vincere non potes. Pænè triumphanti mærori erigi trophæum credimus, dum hanc fpectamus funeris pompam, Regii Maufolei bufta & ornamenta; quæ omnia ad Majeftatem compofita Serenifsimo Jacobo excitâfti, Sobiefcii fanguinis & decorum Hæres ipfe & ornamentum.

Dolor ejusdem, aliarumq; Profapiarum.

P Au-

Augent dolorem tuum non minuunt, ſanguine SOBIESCIIS conjūctæ, Celſiſsimæ Princip esq; Proſapiæ, jam *Ducum* in Oſtrog & Zaſlaw, jam WISNIOWIECCIORUM, jam DANIŁOWICIORUM, jam POTOCCIORUM & ZOLKIEWSCIORUM, aliæq; quàm plurimæ; quas numerô & pretiô grandes cùm Regnum vix capiat, pagina capere deſperabit.

Sic Proſapiarum gemitu, Europæ lamentîs, mundi lacrymîs, ac etiam Societatis JESU doloribûs, Regio Sobieſciorum Nomini per innumera beneficia obſtrictæ, comploratus occumbis, auguſtæ Domûs ſpes ultima, Sereniſsime

JA-

JACOBE Princeps! Nisi tumulum tuum à Paterno divisisses, noster, collectæ in cumulum stragis conspectu, dolor succumberet, sibi ferendo impar. Sed qui ad solatia Lechiæ semper vivebas, non defuisti vel exstinctus mitigandis illius luctibus. Dividis sepulchra; non tam ut lugubris vastaq; tumulorum distantia, utcunq; latitudini Nominis Sobiesciorum respondeat; quàm ut Patriæ dolor, quò minùs sæviat, aliquatenus dividatur; nec totam oculîs, ruinæ molem hauriat. Bene est! quoniam non mæror solùm, sed plorant & gaudia; dividemus lacrymas: sua pars in illis erit mærori, sua solatiis; ut tui Fu-

neris honori, omnis affectuum pugna militet. Quòd in Nepote ultimo Regia defecerit Domus Sobiesciorum, dolor lacrymas fundere non desinet: quòd autem Domus eadem, famæ perennitate vivat vivetq;, gaudia plorabunt totîs sæculîs.

